Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26002
Copyright: Admont, Benediktinerstift

reliquerat. quas imminente iudicio necesse est nullatenus repetat. Iuam enim
horam non eam qua iudex uenit sed qua uenturus dicitur. non qua ignis sodomam
accendit. sed qua loth exire cogitur ut potius ipse dissimulans ab angelis appre
hensus extrahatur. Neque enim ueniente et apparente iam iudice quisquam in hunc
mundum ut aliquid inde rapiat poterit descendere uelle. sed hec hora hodieque
que agitur cum uenturum iudicem sollicitis prestolamur excubiis quando ueniat
incerta. De qua iohannes ait. Filioli mei novissima hora est. Et qui in agro. similiter
non redeat retro. Qui operatur in ecclesia et sicut paulus et apollo plantat et rigat. non
respiciat spem secularem cui renuntiavit. Memores estote uxoris loth. Vxor loth
significat eos qui in tribulatione retro respiciunt et se a spe divine promissionis
auertunt. ideo statua salis facta est ut ammonendo homines ne hoc faciant
tamquam condiat cor eorum ne sint fatui. Qui cumque quesierit animam suam saluam
facere perdet illam. Duobus modis hec sententia recte potest intelligi. sed ad
unum omnino finem uterque intellectus refertur. ut videlicet adversa pro christo
pati immo ipsam mortem non timeamus obire. Qui enim minante mortem persecu
tore negaverit christum magis eligit ad tempus salvare animam suam negando.
eterne hanc procul dubio perditioni preparat. Item qui salutem anime sue querit
eternam. temporalem eam inter persecutorum manus perdere. hoc est in mortem dare non du
bitat. Utrique autem sensui congruit apte quod sequitur. Et qui cumque perdiderit illam
vivificabit eam. id est qui hic perdiderit illic vivificabit. qui propter christum morti tra
diderit tota die existimans eam ut ovem occisionis. exurgente te et adiuvante
christo liberam eam inveniet propter nomen christi. Dico uobis illa nocte erunt duo
in lecto uno. Dixerat supra dominus eum qui in agro sit retro redire non debere. quod ne
de his tantum qui aperte de agro redituri. hoc est palam dominum negaturi sunt. dictum
putares. pergit ostendere non eos qui cum facie in anteriora tendere videantur. animo
tamen ac mente retro respiciant. In illa ergo nocte dixit in illa tribulatione tam tene
brosa ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi duo erunt in lecto. illi
videlicet qui otium et quietem eligunt neque negotiis ecclesiasticis occupati. que illorum [secularibus neque negotiis]
quies lecti nomine significata est. Unus assumetur et alter relinquetur. Non quasi
de duobus hominibus dictum est. sed de duobus generibus affectionum. Qui enim
propter deum continentie studuerit ut sine sollicitudine vivens cogitet que dei
sunt assumetur a deo. qui uero uel humane laudis amore uel alia qualibet vitiorum
corruptione statum monastice vite quo imbutus est leserit. hic ubi relinquen
dus sit hieremie lamentationes insinuant. qui otiose cuiuslibet et peccatricis
anime subiudice specie lapsum describens ait. Viderunt eam hostes et deriserunt
sabbata eius. Due erunt molentes in unum. Molentes appellat eos qui in plebibus
constituti reguntur a doctoribus. agentes ea que sunt huius seculi quos et femi
narum nomine significavit. quia consiliis ut dixi prepositorum regi eis expedit. et